



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Ragula LXXXIV. Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet
admitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

pœnas; ut si cui delicti nomine semel pœna infligta est, amplius eadem vel aliâ affici non possit, *cap. 4. in fine Ext. De judic. l. Sanctio 41 in fine D. De pœnis, l. Omnes: 3 cum l. seq. Cod. eod.* Contra diversos vero eisdem delicti nomine eadem pœna recte repetitur, ut in causa injuriarum, *l. 1. §. fin. D. De injur. furti, l. Vulgaris 21. §. pen. D. De furt. Legis Aquilæ, l. Ita vulneratus 51. D. Ad leg. Aquil.* Illud addubitari possit, an cum unum idemque deli-

ctum tam jure Canonico quàm Civili coercetur, unius coercitio alteram abolet? Quod certe non videtur, *per text. in c. fin. De pœn. lib. 6. ex c. 2. Ext. De maled.* cum jurisdictione Ecclesiastica seculari non deroget, neque è diverso secularis Ecclesiasticæ, *cap. Per venerabilem 13 Qui filii sint legit. can. Cum ad verum distinct. 96.* De quo latius Covarruvias consulatur, *lib. 2. Varar. r. fol. c. 10.*

REGULA LXXXIV.

Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

Non scilicet fraus fiat legi. Ut ecce, qui in Prælatum electus est, sicut ante confirmationem suam, Ecclesiæ res administrare tamquam Prælatus non potest, ita neque nomine procuratorio vel œconomi, *cap. Avaritia 5. De elect. lib. 6. & maritus, qui ob adulterium uxoris ad divisionem thori agit, licet nomen, locum, & tempus, aliaque solemnia libello comprehendere teneatur, de quibus in l. 3. D. De accus. non tamen ad pœnam talionis, si in probatione defecerit, se obstringere poterit, ne hac saltem via separationem impetret, cap. Tua 5. Ext. De procurat.* Aliisque exemplis, si opus esset, hæc Regula illustrari possit.

Est autem exaudienda, quoad id, quod principaliter lege prohibetur. Secus si in modo aut in via prohibitio sit: tunc enim interdictum non est, alio modo aut viâ legitime rem explicari. Licet enim illegitimus in Episcopum eligi non possit, postulari tamen poterit, *cap. Innovatus 20. Ext. De elect.* Hæreditas pactionibus relinqui quidem non potest, testamento tamen potest, *l. Hæreditas 5. C. De pact. convens. l. Licet 29. C. De pact.* Qui juravit se non accusaturum uxorem suam adulterii, etsi accusare eam non possit, denunciare tamen

non prohibetur, *cap. Quemadmodum 25 §. fin. Ext. De jurejur.* Idem evenit in actionibus: ut exempli gratiâ, ad rem empram male agitur actione locati, vel depositi: rectè tamen capri actione agitur, eò quòd his & similibus speciebus, non res ipsa, de qua quæritur, sed modus vel via agendi ad rem tantum prohibeatur.

Altera hujus Regulæ declaratio est, si utraque via ad eundem effectum ducenda tendat, ut in exemplis prius adductis: persæpe enim in consequentiam alterius rei idem effectus sequitur, sicut eleganter ostendit Ulpian. in tutore, qui licet in rem suam pupillo auctore esse non possit, ut pupillus sibi obligetur; potest tamen sui debitoris hæreditatem aduati pupillo auctoritatem suam accommodare, ut sic per consequentiam pupillus sibi obligetur, *l. 1. §. l. Quod dicimus 7. D. De auctore. & cons. tur.* Sic jus patronatus, etsi per se, id est, separatim emi non possit, *c. De jure 16. Ext. De jure patronat.* rectè tamen sequitur emptionem universitatis, in qua inest, *cap. Cùm saculum 13 eod. De jure patron.* Quâ ratione & stipulatio alteri facta, tamen si inutilis sit, pœnæ tamen adjectione in consequentiam sustinetur, *§. alteri Inst. De inutil. stipul.*

REGULA LXXXV.

Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.

Assentitur juris Civilis Regula, in *l. Contractus 3. eodem tit. in l. 1. §. si conveniat. D. Depos.* Lex etsi idem sit quod pactum adjectum in contractibus, sicut supra exposuimus, *ade Contractus sup. eod.* melius tamen est hic legem accipere pro forma contractus, ut potè quòd ex con-

ventionione, propria contractus natura aliter formetur, *l. Iuris gentium 7. §. quinimo D. De pact. actio-* que eo nomine vel ex ipso contractu, vel præscriptis verbis, *l. 2. C. De pact. inter empt. & vend. l. 6. C. De ver. permus.* vel certe conditio detur, *l. Legem 10. C. De pact.* Præterquam si conventio sit rei tur-